

meque crudeli utitur consilio, ut mittat qui infantes omnes bimos, eoq; minores Bethlehemi atque in illius finibus conquisitos interficerent: nisi enim hoc Satanæ fuit opus: nullum certè fuerit.

*Mira Satanæ artes.*

At quale tamen hoc est fascino? ut quia in Vatum esset prædictionibus Iudæis Regem nasciturum esse: persuasum habeat ita fore: & ubi, & quando nasciturus esset ex prædictionibus eisdem se posse cognoscere: sed posse etiam se eludere eas prædictiones, Dei que impedire, atque irritum reddere propositum? non est hoc vehementer mirum? Ex quo conijcere licet, perinde facere Satanam in hominum animis: ac si, ut impedias, ne quispiam aliquid videat, inter ipsum eamque rem interponas aliquid, aut te ipsum, aut quoquo modo legas eam: atq; ut videat, quod eum videre velis, id illi ante oculos ponas. Ut videlicet, quum cupit Satanas à cogitatione aliqua hominem abducere, illum alijs, atq; alijs occupet: neq; illi in eam mentis oculos conijciendi vllum vacuū relinquat tempus: quæ verò cogitationes ad suum faciunt institutū; eas illi passim obijciat.

Ac quòd immanissimus iste humani generis hostis neminem dubitet aggredi; nemini dubitet insidias struere: demonstratum est Filij Dei testimonio, à quo ut se coleret, petere non est veritus. Sed quibuscum conficere aliquid possit, haud absurdè quis dubitauerit. Dixeri enim

enim: